

Cap. III. *Baptismus S. Mainulfi, & continen-
tia matris ejus.*

Illam verò quàm celerrimè manus evasit corruptoris, absque dilatione properavit ad præsentiam prædicti Imperatoris; ipsique, quæ dolor dictavit in corde, libero pronuntiaverat ore: nimis sanctè obsecrans, ut se à tanto persecutore tueretur, qui æterni tutoris vice in terris fungeretur. Imperator verò condolens nobilissimo dolentis dolori, astitit rogata roganti. Ibidem quoque filium ejus per lavacrum regenerationis, infra sanctæ matris Ecclesiæ uterum admitti fecit, ipseque eum à baptismo suscepit. Et bene quidem divina providentia servulum suum, qui ab inferioribus personis domi baptizari potuit, ad Regis cohortem vel curtem baptizandum reservavit, quò procul dubio plurima populi collectio confluit: quatenus jam in ipso limine vitæ pluribus eum notum faceret, ex cujus notitia plures proficerent. Mater autem ejus, cui Regis sponsio certam securitatis spem largita est, spe gaudioque comite reversa est: & in vicem magistri, timorem amoremque Dei sibi constituit: ad quorum disciplinam omnem vitæ suæ ordinem instituit. Ipsa quoque *Wigibruth* vocabatur, quod vocabulum quasi quodam veritatis præfatio sortiebatur, quia pro Christi nomine cum vitij & concupiscentij bellum gessit legitimè.

Cap.

